

Ps 49, 21. dicentem: *Arguam¹ te et statuam contra faciem tuam.* Ipse dignos sibi salvavit et posuit frenum male loquentibus; sed gratia Dei salvati, ab ima domus extracti, ad sua revertuntur habitacula. Sic, sic discant frenum a Domino accipere conmessatores et nec suorum servorum paenitentium audeant minas inferre.

Qualem quantamque in armario cordis eius bibliotecam Dominus condiderat, mirandum est, ut adhuc, cum diaconati² offitii ageret, seniorum videlicet coepit anteire causas, ut sanctorum martyrum alitus³ per antidotum optimum ipse, id est Cassii Victorini et Antuliani⁴ vel ceterorum suorum sodalium, libellum edidit, qualiter dimicati contra idolorum cultura fuissent, et⁵ ut, Christo favente, ad receptacula celi pervenissent, miro ingenio salsam⁶ christianorum populis dedicavit lucubrationem dignissimam. Nec non et sancti Astremonii martyris gesta, cuius sepulchrum constat fore Ociodrense ecclesie⁷, cui ipse preerat, eo⁸ tempore digno sermone aptavit. Sed ut sui humilitatis custos esset, distulit post talibus, ut ne forte adulatio popularis, suis inlata auribus, eum a Conditoris sui retraheret benignitatem.

Post hec, susceptam dignitatem geronticam Candidensis monasterii, ab episcopo tunc temporis nomine Felice suscipi⁹ iubetur onus, ut, quod ipse semper delectabilia sibi poscebat solatia¹⁰, sanctarum animarum ministerium haberet solamen¹¹ edendi lucra in clero non minus, quam pastor gereret curam. Qualem quantumque se inibi sub Christi mandata constrinxerit et reddidisset¹² normiferum¹³, incole loci illius laudes depromunt.

Sed longum est, ut per ordinem cuncta pandamus, quanta in eodem offitium¹⁴ per ipsum Dominus dignatus est ostendere miracula. Set ut de maximis pauca perstringam, cum edem vetustam in vico urbis renovare decrevisset, contigit in loco, sicut mos est structoribus¹⁵ peragere, ut per machinas discurrere quevissent, ut altius augerent fabricam iam olim vetustam atque stabilirent. Presentia presulis aderat; qui¹⁶ altitudo machine pedes ferme 60 ad¹⁷ terras aberat. Contigit, ut constructores per machinas discurrerent, disruptit maceria et cum innumera multitudine lapidum ad terras ruit et unum

1) 'Arguan' 1. 2) 'diaconatus officium' 2 a. b. 3) ita scripsi; 'celitus per omne datum optimum' codd. 4) 'Antoliani' 2 a. b. 5) 'et — pervenissent' om. 2 a. b. 6) 'falsam' 2 a.; 'acta' 2 b. 7) 'ecclesia' 2 a. b. 8) 'in' add. 2 a. b. 9) 'suscipere' 2 a. b. 10) 'ut' add. codd.; delevi. 11) ita scripsi; 'sola medendi' codd. 12) 'reddiderit' 2 a. b. 13) ita scripsi; 'mormiferum' 1; 'formiferum' 2 a. b. 14) 'officio' 2 a. b. 15) 'structibus' 1, corr. 16) 'cuius' 2 a.; 'que' 2 b. 17) 'a terris' 2 a.; 'a terra' 2 b.